



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXXXVI. Ioannis Papae VIII. Ad Imperatorem. Gratulatur de eius
obseruantia erga Romanam ecclesiam. Iaetatur ipsum Rauennam venire
velle, vt de ecclesiae & imperii statu agat. rogat vt ante ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

præsentialiter venire indubitanter procures : quia & statum sanctæ Rauennatis ecclesiæ in columem conservare, tuumque profectum & honorem perficere , auxiliante Domino , cupimus.

EPISTOLA CCLXXXVI.

I O A N N I S P A P Æ V I I I .
A D I M P E R A T O R E M .

Gratulatur de eius obseruantia erga Romanam ecclesiam.
lætatur ipsum Rauennam venire velle , vt de ecclesiæ & imperii statu agat. rogat vt ante diem , quem præstiterat , accedat.

Ad imperatorem.

R E C E P T I S serenitatis vestræ literis , atque perlectis , ac sicut nobis per Ioannem Venticinensem episcopum verbo tenus mandaftis, quia cognouimus vos honorem sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ , & salutem terra ipsius toto conamine velle perficere , exultantes sumus animo gauisi. Porro sicut mandaftis vt die purificationis beatæ Mariae semper virginis Rauennæ venientes simul coniuncti fuifsemus pro ad considerandum , cum Dei auxilio , & peragendum profectum sanctæ Dei ecclesiæ , & statum imperii vestri ; nos autem & hoc libenti animo recipientes, volumus quarto die ante iam dictam festiuitatem vos ibi adesse , quia & nos ita desideratissime cupimus vobis cum simul coniungi , & vestram petitionem libenter adimplere, si , Domino annuente , sanitas corporis diuinitus concessa fuerit. Et quoniam , sicut audiuimus, vos laborem atque certamen pro ecclesiarum Dei statu , & imperii vestri in columitate , atque communi Christianorum salute, pio affectu cupitis perficere; his apostolatus nostri literis admonemus & exhortamur vt magis ac magis in hoc vestra imperialis solicitude proficiat : hoc gloriam vestram obsecramus , & magnitudinem vestram , vt cum in has partes venire cœperitis , Supponem gloriosum comitem , & communem fidelem vobis cum venire iubeatis.

T t iii